

essent, & ad altiora interim consilia, studiis suis consulerent. successus pares par contentio habuit: cumque alterutri sufficere ad laudem insigne esset, amabilis monstri instar erat, suffecisse vtrique. Impleuerat iam antea, vt meritis excellentibus institutionem Scholasticam, ita successorum labores arduæ imitationis studio, memorandus inter clarissima Urbis nomina vir, Casparus Bitschius. nec videbatur aliquid restare ad fastigium; nisi quod destinato incrementis litterariis Berneggero, per omnia felicioris sæculi fata, non tam implenda expectatio publica quam superanda erat. Credunt multi, Auditores, vt sunt prona ab eruditione in ambitionem, ab ambitione in vecordes fastus hominum ingenia, in vilioribus habendas, quæ erudiendæ iuuentuti impenduntur, curas: statimque pædagogicas sordes etiam iis obiiciunt, in quibus plus quam professorium splendorem admirari debebant. Berneggero apud intactam ea barbarie posteritatem nunquam huius operæ gratia peribit: qui licet Academica potius in gymnasio medicamenta exemplo maximorum ex antiquitate virorum, tractaret; nequaquam tamen inferiora fastidioso spreuit vultu, sed vniuersæ Scholæ ope consilioque tantum profuit, quantum freta suo splendore ætas, præsentioribus remediis, vt solet, aliquando auersa, ferre potuit. Rarum

rum